quedam non. Omne enim sacramentum est signum,
sed non e converso. Sacramentum eius rei similitudi-
nem gerit cuius signum est. Si enim sacramenta
non haberent similitudinem rerum quarum sacra-
menta sunt, proprie sacramenta non dicerentur. Sacramentum
enim proprie dicitur quod ita signum est gratie Dei et in-
visibilis gratie forma, ut ipsius imaginem gerat
et causa existat. Non igitur significandi tantum gratia
sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctifi-
candi. Que enim significandi gratia tantum institu-
ta sunt, solum signa sunt et non sacramenta,
sicut fuerunt sacrificia carnalia et observantie ceri-
moniales veteris legis, que numquam poterant
iustos facere offerentes. Quia ut ait Apostolus: San-
guis hircorum et taurorum et cinis vitule aspersus
inquinatos sanctificabat ad emundationem
carnis, non anime. Illam enim inquinationem illa, scilicet
contactus mortui. Unde Augustinus: Nichil aliud in-
telligo inquinationem quam lex mundabat nisi
contactum mortui hominis, quem qui tetigisset, im-
mundus erat septem diebus, sed purificabatur secundum
legem die tertio et septimo, et ita mundus erat, ut
iam intraret in templum. Emundabant etiam
interdum a corporali lepra illa legalia, sed neminem
ex operibus legis aliquis iustificatus est, ut ait
Apostolus, etiam si in fide et caritate fecerit. Cre-
...
Quia imposuit ea Deus in servitute, non in iustitia

mentis eruditur. Homo enim qui ante peccatum sine me-
dio Deum videbat, per peccatum adeo abiit ut nequeat
divina capere nisi humanis exercitatus. Propter exer-
citationem similiter instituta sunt, quia cum homo
otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et sa-
lubris exercitatio in sacramentis, qua vanam et noxi-
am declinet occupationem. Non enim facile
capitur a temptatore qui bono vacat exercitio.
Unde Ieronimus: Semper aliquid operis facito, ut
te occupatum diabolus inveniat. De tri-
plici genere exercitationis.

Sunt autem exercitationum tres species: una
ad edificationem anime pertinet, altera ad
corporis nutritionem, alia ad utriusque subversionem.
Cum autem absque sacramentis quibus non alligavit
potentiam suam Deus homini gratiam donare pos-
set, propter predictas causas sacramenta instituit. Duo
autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet ver-
ba et res. Verba autem ut invocatio trinitatis; res
ut aqua, oleum et huiusmodi. Iam unde restat di-
stantiam sacramentorum veterum et novorum,
ut sacramenta vocemus que antiquitus
res sacras signabant, ut sacrificia et oblationes
et huiusmodi. Horum autem differentiam breviter Augustinus assignat
dicens: quia illa promittebant tantum et signi-
ficabant, hec autem dant salutem. De
circumcisione.
Fuit tamen inter illa sacramenta circumcisionis...

[Margin, left:] ...gustini. Quo differunt signum [et sa]cramentum.
[Margin, left:] [U]nde proprie dicatur sacramentum.
[Margin, left:] [Qu]od legalia magis signa quam [sacr]amenta.
[Margin, left:] Augustinus.
[Margin, left:] Augustinus super epistolam ad hebreos.
[Margin, right:] Tertia.
[Margin, right:] Ex quibus constat sacramentum.
[Margin, right:] De differentia sacramentorum veterum et novorum.
[Margin, right:] Augustinus super epistolam ...

License: public_domain – Toronto, ON, The Robertson Davies Library at Massey College, Gurney O 0030.2, front_verso – Petrus Lombaruds, Sententiae (https://fragmentarium.ms/view/page/F-f537/10124/74258)